

tem serenitatemque maria transfretantibus largire. | Aegrotis medere aegros sana, esurientes satia | et pater orphanis esto, quos mors spoliavit. | Pro clementia tua daemonia detrude, quae homines vexant, | et ecclesiam tuam in quatuor (orbis) partibus extolle, ut tibi canat. | Sacerdotes custodi et diaconos munda | et iuventuti dux et custos esto. | Sponse interfecite tibi (sit) glorificatio ex omnibus oribus | et super nos misericordia tua omnibus temporibus. Amen et Amen.

## DE S. VIRGINE DEI GENITRICE MARIA

- <sup>BO</sup>  
<sup>L</sup>  
310
21. Si qua macula, aut defectus animae eius inesset, [Filius Dei] aliam utique sibi matrem quaesivisset, quae omnis labis expers esset.
- <sup>BO</sup>  
<sup>I</sup>  
311
22. Filius Dei factus est filius hominis absque conversione. Filius Dei, Filiusque hominis, unus idemque est. Ex summo, et ex infimis unus Unigenitus. In Mariae sinu naturas ad unionem adduxit, ambasque unum fecit, sicut scriptum est. Corpus sibi assumpsit, filiusque hominis ex ventre factus est, et corpore cuncta sustinuit, quum Deus esset. Noli duos numerare, alterum Deum, et hominem alterum: Unus est enim Christus, Filius hominis idemque Deus. Ipsi, et in ipso inest Divinitas, atque Humanitas, eiusque sunt tum prima, tum novissima, nec in partes, aut numeros dividitur: Unigenitus enim est, totusque Unus, si ipsum bene noveris. Non partem eius genuit Pater, et partem Maria: sed totus a Patre, totusque a filia hominis genitus est.

1495

1496

## HORMISDA PP. († 523)

## EPISTOLAE

- <sup>PL</sup>  
<sup>63</sup>  
379
- V. Ad Anastasium Imperatorem. – [...] Totum pro redintegratione fidei et Ecclesiarum pace facere, libenter amplectimur: si tamen maiorum nostrorum diffinitio, et sanctorum Patrum in suis radicibus inconcussa permaneat: si anathematizetur Nestorius cum participibus suis, qui evacuans divinae sacramenta naturae, beatam virginem Mariam nudi hominis mentitur esse genitricem; oblitus angelicae annuntiationis, per quam mundo innutuit, quia quod ex ea nasceretur vocandum esset sanetum, Filius Dei. Faceat impiorum tam contumeliosa in Deo honorificentia: quoniam sic est in utero virginis operata divinitas, ut ex ea unitas ibi procederet carnis, animaeque humanae, increata quidem, sed non confusa \* connexione substantiae.

1497

- <sup>PL</sup>  
<sup>63</sup>  
514
- LXXIX. Ad Iustinum Augustum. – [...] In novissimis temporibus

1498

*Verbum caro fieret, et habitaret in nobis:*<sup>1</sup> ita intra viscera sanctae Mariae Virginis genitricis Dei unitis utriusque sine aliqua confusione naturis, ut qui ante tempora erat Filius Dei, fieret filius hominis; et nasceretur ex (in) tempore hominis more, matris vulvam natus non aperiens, et virginitatem matris deitatis virtute non solvens. Dignum plane Deo nascente mysterium, ut servaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine, servans quod ex Patre erat, et repraesentans quod ex matre suscepit.

### A. M. S. BOETIUS (477/480 † 524)

#### BREVIS FIDEI CHRISTIANAE COMPLEXIO

1499 [...] Dum ibi Dei populus moraretur, post iudices et prophetas, reges instituti leguntur: quorum post Saulem primatum David de tribu Iuda legitur adeptus fuisse. Descendit itaque ab eo per singulas successiones regium stemma, perductumque est usque ad Herodis tempora, qui, primus ex gentibus, memoratis populis legitimus imperasse. Sub quo exstitit beata Virgo Maria, quae de Davidica stirpe pervenerat, quae humani generis genuit Conditorem. Hoc autem ideo, quia multis infectus criminibus mundus iacebat in mortem, electa est una gens, in qua Dei mandata clarescerent; ibique missi prophetae et alii sancti viri, per quorum admonitionem ipse certe populos a tumore pervicaciae revocaretur; illi vero, eosdem occidentes, in suae nequitiae perversitate manere voluerunt.

PL  
64, 1336

Atque iam in ultimis temporibus non prophetas neque alios sibi placitos, sed ipsum Unigenitum suum Deus per virginem nasci constituit, ut humana salus, quae per primi hominis inobedientiam deperierat, per hominem Deum rursus repararetur; et quia exstiterat mulier quae causam mortis primo viro suaserat, esset haec secunda mulier quae vitae causam humanis visceribus apportaret. Nec vile videatur quod Dei Filius ex virgine natus est, quoniam praeter naturae modum conceptus et editus est. Virgo itaque de Spiritu sancto incarnatum Dei Filium concepit, virgo peperit, post eius editionem virgo permansit, atque hominis factus est idemque Dei filius; ita ut in eo et divinae naturae radiaret splendor, et humanae fragilitatis appareret assumptio.

<sup>1</sup> Io. I, 14.

• PL 63, 480, 483, 519, 535, 536.